Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38221
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

excepto eo die quo haec loquebatur ihs. et illo quo exhibuit memoratam in monte uisionem medios dies intuentes dixerunt. post sex dies quod ille adnumeratis finalibus id est primo atque ultimo dixerunt. post octo dies eo loquendi modo quo pars pro toto commemoratur. Item quod lucas ait de moyse et helia. Et factum est dum discederent ab illo ait petrus ad ihm. praeceptor bonum est nos hic esse. et cetera. non debet putari contrarium ei quod matheus marcusque ita coniunxerunt petrum hoc suggessisse quasi adhuc moyses et helias cum dno loquerentur. non enim expresserunt quod tunc sed tacuerunt potius quod iste addidit illis discendentibus hoc petrum de tribus tabernaculis faciendis dno suggessisse. addit etiam lucas intrantibus illis in nubem factam esse uocem de nube quod illi non dixerunt sed nec contra dixerunt. LVII.

Sequitur matheus. et interrogauerunt eum discipuli dicentes. quid ergo scribae dicunt quod heliam oporteat primum uenire. at ille respondens ait eis. helias quidem uenturus est. et restituit omnia. dico autem uobis quia helias iam uenit et non cognouerunt eum. sed fecerunt in eum quaecumque uoluerunt. sic et filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt discipuli quia de iohanne baptista dixisset. hoc idem marcus etiam hunc ordinem seruans commemorat et non nulla diuersitate discessit. sed ipse non addidit intellexisse discipulos quod iohannem dns significasset dicendo quod helias iam uenerit.

LVIII Sequitur matheus et dicit. et cum uenisset ad turbam accessit ad eum homo genibus prouolutus ante eum dicens. Dne miserere filio meo quia lunaticus est. et male patitur. et cetera usque ad illud ubi ait. hoc autem genus non eicitur nisi per orationem et ieiunium. hoc et marcus et lucas. eodem etiam ordine memorant sine ulla repugnantiae quaestione. LVIIII.

Sequitur matheus dicens. Conuersantibus autem eis in galilea dixit illis ihs filius hominis tradendus est in manus hominum. et occident eum et tertio die resurget et contristati sunt uehementer hoc eodem ordine marcus lucasque commemorant.